

No. 244. 1277. 25. Mai.

*B. Withego verleiht mit Zustimmung des Capitels dem Schatzmeister des Hochstifts Conrad gen. von Boritz, bez. der von diesem zu errichtenden Vicarie zur Entschädigung für die von ihm zur Verbesserung des bischöfl. Hofes zu Oberwartha überlassenen Aecker 60 Maas bischöfl. Zehnten in der Umgegend von Dreseden.*

Withigo dei gratia Misnensis episcopus universis praesentes litteras inspecturis salutem in omnium salvatore. Cum ea quae fiunt in tempore breviter labantur a memoria, nisi scripto perennentur, expedit ut acta digna memoria scripturarum elucidatione sic servantur integra, quod futuri temporis hominibus veritatis evidentia pateat incorrupta. Hinc est quod universis Christi fidelibus volumus esse notum, quod cum in curia nostra Wartha propter agrorum paucitatem defectum in straminibus et pabulo pateremur, et dominus Cunradus dictus de Boruz ecclesiae nostrae thesaurarius quosdam agros haberet ibidem, quos non facile posset excolere, pensata utriusque nostrum commoditate fructuque multiplici, agros ipsos cum horto sito ex opposito allodii dictus thesaurarius nobis reliquit, allodio cum virgultis adtinentibus sibi ad vineam reservato. Pro cuius restauro triginta modios siliginis et totidem avenae in decima nostra, quam consuevit colligi circa Dreseden, accedente consensu nostri capituli iure merae proprietatis sibi dedimus, qui ad vicariam, quam de vinea Wartha proponit instituere pro memoria felicitis recordationis praepositi Heinrici et suorum peccatorum remedio perpetuo pertinebunt, quos modios per ipsum collectorem decimae, quicumque pro tempore fuerit cum primo collecta fuerit, sibi vel vicario, cui ipsos deputaverit, volumus praesentari. Eidem quoque custodi concedimus, ut dicta quinque maldaria Dresedensis mensurae ad usus suos quamdiu vixerit possideat, etiam si vicaria fuerit instituta. Postquam vero de praesentis vitae medio sublatus fuerit, extunc perpetuo eidem pertineant vicariae. Ut autem haec firma permaneant nec ab aliquo successorum imposterum valeant immutari, praesentem desuper conscriptam sibi dedimus nostri et capituli nostri sigillorum appensionibus roboratam. Testes huius magister Tylmannus praepositus in Budessin, dominus Heydenricus cantor, magister Cunradus noster notarius canonici Misnenses, dominus Cunradus cappellanus noster, dominus Ekehardus de Milbuz, dominus Heinricus Burleban milites et quidam alii clerici et laici fide digni. Datum Misnae anno domini M°. CC°. LXX°. VII°. VII°. Kalendas Junii pontificatus nostri anno XI°.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den wohl erhaltenen Siegeln des Bischofs und des Capitels an zwei von der Urkunde selbst abgetrennten Pergamentstreifen.

No. 245. 1278. 26. März.

*Graf Albert zu Brena meldet dem edeln Heinrich von Koldiz, dass er zu dessen Gunsten die Advocatie zu Mügeln aufgelassen, die er und seine Vorfahren vom B. zu Meissen zu Lehen gehabt.*

Albertus dei gratia comes in Bren nobili viro domino H. de Koldiz, salutem cum bonae voluntatis affectu. Recognoscimus et tenore praesentium publice protestamur, quod advocatiam in Mügeln, quam a venerabili patre domino . . episcopo Misnensi habebamus in feodo et progenitores nostri habuerant ab antiquo, domino Withigoni Misnensi